

Kennedy.

Sociale  
Wiss.  
Kritik.

8.9.





DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> MEDICA MORALIS  
De  
**MODO CON-  
VERSANDI IN-  
TER EXTERAS GEN-  
TES PRÆPRIMIS EUROPÆ  
DEDUCTO à TEMPERAMEN-  
TIS VARIIS, SECUNDUM  
SANGUINIS FLUXUM.**

*Ventilata*

à

THOMA KENNEDO Medicinæ Doctore,  
*Scoto-Britanno.*



nach 12.05  
Ud 648

COLONIAE MARCHICAE,  
Typis ULRICI LIEBPERTI, Regii Typographi.

BRUNNEN

KOMMUNAL  
KOMMUNAL  
KOMMUNAL  
KOMMUNAL  
KOMMUNAL  
KOMMUNAL  
KOMMUNAL  
KOMMUNAL

BRUNNEN



BRUNNEN

Serenissimo atque Potentissimo  
Principi ac Domino  
*Domino*  
**FRIDERICO I.**  
**REGI BORUSSIÆ,**  
Marchioni Brandenburgico, Sac.  
Rom. Imp. Archi-Camerario , & Ele-  
ctori , Principi Supremo Arausionensi , Magde-  
burgi , Cliviæ , Juliæ , Montium , Stetini , Pomera-  
norum , Cassubiorum , Vandalorumque in Silesia  
& Crofnæ Duci , Burgravio Norimbergensi , Prin-  
cipi Halberstadii , Mindæ & Camini , Hohenzol-  
leræ , Ruppini , Marchiæ , Ravensbergæ , Hohenstei-  
nii , Lingæ , Meursii , Buhræ , Lehrdami , Marchioni  
Vehræ , Vlissingæ , Domino Ravensteini ,  
Lauenburgi , Butoviæ , Arlay , & Breda ,  
&c. &c. &c.

\*\*\*\*\*  
**FELICITATEM**  
*Serenissime ac Potentissime Rex.*

**D**iruuntur Pyramides Ægyptiacæ trecentis  
millibus hominum triginta annorum  
spatio exstructæ , diruuntur iniquitate  
A tem-

¶¶¶ o ¶¶¶

temporis & muri Babylonici ad triginta milliaria  
Germanica extensi ; edax est tempus rerum, & in-  
vidiosa Senectus , quum omnia destruat , sibique  
obsequiosa reddat. Solæ musæ faucibus temporis  
suos cultores eripiunt , immortalesque reddunt.  
hinc omnes omnium ætatum imperatores , qui  
res præclaras gesserunt , aut ipsi doctissimi fue-  
runt, aut viros doctrina illustres summo amore pro-  
secuti sunt, neque fieri potest, ut Regiæ Vestrae Maje-  
statis excelsus animus , qui neglectis rebus morta-  
lium caducis , æternitatis memoriam ante oculos  
habens propositam , non etiam memoriæ & anti-  
quitatis custodes literas amet (neque sunt , qui  
literas oderunt & contemnunt , quam qui, vita  
per ignaviam & flagitia turpiter acta, conscientiam  
posteritatis reformidant) quod animum ad acci-  
piendam virtutem præparent , ad eandemque con-  
sequendam necessariam quandam præcursionem  
exhibeant literæ , quarum sane auxilio nulla non  
indiget ætatis humanæ pars , nulla publicorum  
temporum varietas , nulla denique instituendæ vi-  
tae ratio ; Ibi prudens invenit unde sapientior fiat;  
ibi bellator reperit , unde animi virtute roboretur ,  
nec

❀ ❀

nec aliqua in mundo potest esse fortuna , quam  
literarum non augeat gloria notitia, ut gemmam  
de annulo , animam de corpore , Solem e mundo  
sustulisse videatur is , qui literas velit esse sublatas,  
quarum desiderabilis notitia naturam eximie reddit  
ornatam.

Regia Vestra Majestas Licinium Imperatorem  
æmulatur, qui postquam Regiam Domum, non so-  
lum auro, electro, ebore, sed etiam spoliis hostium  
ornasset , tali tamen præconio doctrinam decoravit  
ut inter spolia Darii Persarum Regis Scrinio reperto,  
auro margaritis precioso Homeri libros incluserit.  
Nec non Carolum Magnum , qui collegia instituit  
æque plebeiorum ac nobilium , probe considerans  
sine doctrina nobilitatem esse mancam , agite,in-  
quit , pergit ut cœpistis , amplissima industria  
præmia consequi , qui meam autoritatem sequuti  
estis ; vestra sunt Sacerdotia , ex vobis episcopos  
deligam , vobis hic honos tributus sit, ut ad meam  
hic dextram collocari possitis , & conspicui fiat.

¶ o ¶

Vos vero ibidem belli & delicatuli, delicatis  
& compositis capillis adolescentes, qui patrum  
vestrorum facultatibus nitimini, & nobilitati con-  
fiditis, exemplum in vobis constituam meæ severi-  
tatis & vestræ ignaviæ, Deum testor nullum vo-  
bis aditum ad præmia patere posse; antequam in  
virtutis & diligentia & verecundia viam redeatis.

Non insatiable scribendi cacoethes, Serenissi-  
mæ Princeps, non inanis gloriæ captatio, non fama  
inclarendi, cui saepe etiam boni indulgent, me pel-  
lexerunt, sed quod ego Scoto-Britannus in ultimis  
Europæ plagiis degens, postquam, septem retro  
annis, Angliæ, Hyberniæ, Galliæ, Italiaæ, Hispaniæ,  
Germaniæque politiores peregrinatus partes,  
solum in Regionibus Sacrae Vestræ Majestatis per-  
ficiendi Studia ansam nactus fueram, horret ani-  
mus tonitru belli in Stragem cædemque morta-  
lium, Christianique sanguinis effusionem erum-  
pens referre, quod ubique vidi, ita ut mortales me-  
rito ultimam diem accelerare passum optarent.  
Omnia hæc tristia auditu & graviora visu, con-  
centu virtutum, prudentiæ, fortitudinis, pietatis-  
que

¶ ¶ ¶

que incomparabilis Sacrae Vestrae Majestatis pectore  
reposito , non solum præveniuntur, sed exinde maxi-  
mi fructus pacis percipiuntur , sic ut auricomis alis ,  
aliis derelictis regionibus pax nobis advolet. Nihil  
mali in Rege nostro experimur, sed radios divini  
numinis in nos transfusos persentiscimus ; & quam-  
vis mortalium annales cessarent , debitas ascri-  
bendo gratias optimo Regum (quod nunquam fieri  
potest) nullus dubito cum divino Platone , gau-  
dere divinum numen , quum videat imaginem  
suam in optimo principe esse expressam , & quod  
inter Cœlites reperiantur , qui Deo reddunt gra-  
tias , quod inter mortales talis Princeps virtute  
immortalis reperiatur. Quot homines, quot animæ  
hominum perirent , nisi Sacra Vesta Majestas il-  
lis opitularetur ; divinum a Cœlo collatum pro-  
testantibus domum , & cum novo seculo Regium  
tuum Diadema , Regia & divina nobis attulit do-  
na , qualibus orbati a multis retro seculis haëte-  
nus fuimus. Quid esset hic mundus sine piis &  
probris Principibus , nisi scena miseriæ & ululatus ?  
quid sine doctis nisi abyssus tenebrarum ? Ego  
inter alios Serenissime Princeps , quamvis pere-  
grinus



grinus, ineffabiles prudentiæ tuæ clementiæque effectus percipiens, Sacram Tuam Majestatem colo ut hominem a Deo secundum, & quicquid est a Deo, consecutum, solo Deo minorem; chartaceum itaque ac levidense hoc munusculum (quum neque ego, neque orbis terrarum, optimo quid principi par habeat) in æternum animi gratitudinis monumentum augusto tuo ac Sacro nomini humiliter consecro; justitia non minus postulat, ut primitias doctrinæ, quas ex Universitate Fridericana percepi, ubi Stellas primæ magnitudinis videre licet, Sacræ Vestrae Majestati devoveam; quid justius, quam humiliter Sacræ Majestatis judicio dissertationem de diverso modo conversandi inter diversas gentes submittere, quum concursus omnium fere Europæ gentium, inter se quoad mores & temperamenta diversarum, tanquam diversæ lignæ in Centro Regiæ tuæ prudentiæ concurrentes imperterrita tua affabilitate dominationeque in omnium Salutem inclinata felicissime gubernetur, & quum maxima divinæ nostræ artis medicæ secreta, animi nempe æqualitatem vitamque sobriam possideas, quæ cum Christianum tum  
Prin-

¶ ¶ ¶

Principem reddunt optimum. Quid mihi superest  
optandum , nisi ut contingat ( quod animitus  
apprecor) in hac terra Regno Borussico, Scotorum  
gloria , qui a bis mille retro annis , Reges sibi in-  
vicem succedentes habuere ; & quod magis est ,  
faxit æternus Deus, ut usque dum Sol hic naturalis  
cursum suum in orbe naturalem peragat , Sol po-  
liticus Regni Borussici radiis Potentiae & Majesta-  
tis Regiae coruscare nunquam cesset , neque vane  
ominor , quod exiguo temporis intervallo majora  
incrementa capessat. Imo nullus dubito quin tan-  
dem post sera fata , quum Corona hæc terrestris,  
(norunt enim optimi Principes Diadema Regium  
gemmae insignitum mortalitatis lege non esse ex-  
emptum) spinis curarum luctusque intertexta cessa-  
verit , approximante morte , quæ vulgo Rex ter-  
rorum & terror Regum dicitur, exsurget Sacræ Ve-  
stræ Majestati ineffabile solatum (suavi hac re-  
flexione suffultum) ita ut in fauibus mortis trium-  
phum canere possis , quod ex amore DEI in Chri-  
sto non solum mihi , sed afflictis ubique locorum ad  
te confugientibus Christi membris opitulatri-  
ces Regias exhibueras manus , hinc Cœlestis &

divi-


¶ o ¶

divinæ originis anima , Radius divinæ lucis, con-  
temptis rebus mortalium caducis, transvexa Cœli  
transvolabit,& implantabitur, concentrabiturque in  
Sole lucis increatæ gaudiique perennis , quod Sco-  
tus sinceritate votorum nulli secundus,Sacræ Vestræ  
Majestati fidei nostræ reformatæ suffulti animi-  
tus apprecatur, cupitque immori obsequiis

*Serenissimæ Vestræ Majestatis*

*Subiectissimus & Devinctissimus Clicens*

THOMAS KENNEDY,  
*Scoto-Britannus.*



## DISSERTATIO MEDICA MORALIS

De

### *Modo conversandi inter exteras Gen- tes a variis temperamentis deducto, secundum Sanguinis Fluxum.*

**D**ivinæ Benignitatis radii per orbem terrarum sunt dispersi, ita ut nulla gens tam barbara sit, quin optimos, neque quælibet tam felix quin pessimos aleret viros: Si enim neminem natura mortalium tam conditis moribus fixxit, in quo non aliquid defideres, velut ultimam artificis manum, cuius supercilii esset totas provincias fato velle eripere, & indignari se ubi peccatur, id est inter homines natum esse, flacessat in omnibus suæ gentis præceps favor, simulque cæterarum aversatrix invidia, ut nostra vitia fideliter agnoscamus, & virtutes in aliis nos delectent: nihilominus ratione temperamenti, Climatis, diversique instituendi modi, una natio præ alia ad virtutes vel vitia magis est disposita, & secundum hanc dispositionem Virtutes vel vitia de potentia in actum reduci videmus. Disputationem inauguralem de temperamentis gentium sub ductu Celeberrimi Hofmanni Professoris Hallensis, præceptoris omnis honoris cultu venerandi hactenus habuimus, promissimus tamen in fine nostræ Dissertationis aliam nacti occasionem plura de hac materia specialius ventilare, ut ideo promissis respon-

A 2

deremus

deremus, nihil magis congruum subjungere humiliter censemus, quam dissertationem de modo conversandi inter diversas gentes secundum diversa temperamenta, quum non auditu solum sed visu, non aure, sed ore tenus plerasque has gentes de quibus instituenda est hæc dissertatio visitavimus, pauca sed & solida ut speramus in usum nobilissimorum germanorum, quorum non solum gentem sed gentes ob innatam nobis exhibitam humanitatem, ab ultimis Europæ partibus fama doctrinæ huc allicitis post quadriennii inter illos commorationem, merito honore prosequi debere ingenuo fatemur, unicum tantum audacter assentimus, quod si potentia voluntatem æquaret, nullum hominum nobis palmam gratitudinis ergo prærepturum; Deum vero T.O.M. ad secundandum præsentem laborem humiliter imploramus omni qua decet reverentia.

Thef. I. Quandoquidem homo spectabilis hujus mundi compendium, constet ex corpore & anima, operationesque animæ, quæ in judicio & voluntate consistunt, distinctæ sint ab operationibus corporis, quæ motu absolvuntur, placuit tamen Supremo numini omnium rerum conditori, ut corpus ab anima; ut patet in artuum motu, ut secundum varias ideas quas format anima corpus moveatur, imo etiam a perversa phantasia partes solidæ alterentur, & quod magis est priores partes deleantur, & novæ his superstruantur; Vice versa certum est partes quoque corporis præprimis fluidas, sanguinem & humores, quæ a causis mere necessariis, aere, æthere, alimentis dependent, varias & mirificas in animam efficere alterationes, ejusque operationes varie disponere, hunc vero influxum secundum aerem, ætherem, & alimenta ulterius hic considerabimus.

Thef.

Thes. 2. Quomodo vero fiat influxus horum (quæ elementa dicuntur) in animam, vel qua ratione immaterialis actus sicuti est cogitatio & judicium, motus partium solidarum & fluidarum certa mensura & gradu disponere possit extra limites humani intellectus positum esse humiliter censemus, interim tamen disponi a posteriore luce meridiana clarius.

Thes. 3. Duplici modo ingressum dari in animam asserimus primo moraliter, quo nimirum modo datur ingressus in animam per bona præcepta, Secundo Physice, per Corpus ejusque fluidas in motu existentes partes.

Thes. 4. Siquidem pro inconcuso habeatur Canone physico, Mores animæ sequi temperamentum corporis, placebit paulo accuratius sensum hujus Canonis Philosophico Medici trutinare, & in verum sensum temperamenti ulterius inquirere.

Thes. 5. Veneranda antiquitas (ut vulgo dicitur) quatuor temperamenta (Sanguineum, Cholericum, Melancholicum, Phlegmaticum) statuebat.

Thes. 6. Hæc quatuor temperamenta superstruxerunt quatuor elementis, aqua igni, Terra & Æthere.

Thes. 7. Quando Corpuscula Sanguinem constituentia diversa, nimirum terrestria, aquosa, aerea ignea, proportionaliter inter se fuerint mixta, tunc sanguis dicebatur temperatus, & exinde secundum illos resultabat temperamentum sanguineum.

Thes. 8. Quando autem particulæ aereæ igneæ prædominantur præ fixioribus terreis, temperies calida & sicca aderat, tunc temperamentum denominabatur cholericum.

Thes. 9. Quando particulæ aquæ mucilaginosæ prædominium habuerant præ ipsis aereis terreis sanguineis, tunc exsurgebat temperamentum phlegmaticum frigido humidum.

Thef. 10. Quando particulae terrestres prædominantur præ gelatinosis, aereis, aquæis, appellarunt Melancholicum.

Thef. 11. Ut enim autoritas patrocinantium non creat eriori sufficiens patrocinium, ita enim Antiquitas sine veritate est tantum antiquus error, de mundo enim censeo ut de particularibus hominibus, qui quo Seniores eo prudentiores fieri, certe enim antiquitas solum respectu nostri ita denominanda est, ita ut nos merito veterum designatione insigniri debeamus, quum & propria & illorum experientia nitamur, illi vero propria tantum experientia fulciebantur.

Thef. 12. Dicimus ergo sublatis fundamentis videlicet elementorum, quibus superstruxerant sua temperamenta totum corruere hoc opus utcunquac speciosum & vetustum, jam vero secundum veteres, Corpus in Scala substantiae fuit vel simplex vel mixtum, simplex dicebatur elementum, sed si omnia corpora individua sint mixta, quomodo dari possit vel simplex corpus quoad individuum, vel simplicia plura quoad speciem.

Thef. 13. Nec de existentia elementi ex ratione quilibet certus esse potest, nam dum peripatetici definiunt elementum quod sit Corpus naturale in quod alia Corpora ultimo realiter resolvuntur, quærum num unus ex illis illam ultimam resolutionem tentaverat, aut tentare poterat,

Thef. 14. At si hoc vocari debet elementum, unde reliqua sunt composita, ipsum autem compositum haud est, tunc rudis illa & indigesta moles, quam Deus ex nihilo creavit, vocari debet elementum.

Thef. 15. Deinde quaternarius elementorum numerus infirmo nititur argumento, quod nimirum quatuor possibles sint combinationes quatuor qualitatum alteratricum, Caloris, frigoris, humoris & siccitatis, hæc quippe ratio æque inepte concludit,

dit, ac si quis ex numero duarum qualitatum motricum levitatis & gravitatis, duo elementa proculdere vellet.

Thes. 16. Diruto hoc fundamento elementorum, quibus veteres sua temperamenta superstruxerunt, cavendum ne destruendo aliena, nihil de proprio struamus.

Thes. 17. Celeberrimus Hofmannus praeceptor noster, debito honoris cultu a nobis semper prosequendus, divino dono perspicuitatis singulari modo praeditus medium viam elegit (cujus autoritati non minus ac rationi assentimur) modeste afferens intelligi posse haec elementa, modo pro igne fluidum æthereum activissimum ponatur, nec primariae concretiones horum Sal nempe & Sulphur, quæ Chymicorum principia audiunt, melioris explicationis ergo excludantur.

Thes. 18. Recentiores optime, inter quos prælaudatus Hofmannus prævidentes haec elementa tantum sufficere ad compositionem mixti corporis, aliud temperamentum ascribunt corpori vivo, quod non solum a mixtione sed & motu Sanguinis tam intestino quam circulari deducatur.

Thes. 19. Atque ex hoc motu Sanguinis & mixtura respectu habitus corporis recentiores quatuor temperamenta vivi corporis pulchre deducunt.

I. Sanguinei v. g. ex partibus gelatinosis, aqueis, terreis, Salinis æqualiter inter se mixtis sanguinem possident, & quorum Sanguis per vasa tenuia ac copiosa corporis habitus spongiosi ac mollis circulatur.

II. Cholerici qui Sanguinem possident, cujus partes gelatinosæ Salinæ reliquis particulis prædominantur, & tanquam instrumento motus gaudent fibris magis strictis tensis & firmis, hinc celerior fit motus Sanguinis.

III. Pituitosi seu phlegmatici, habent Sanguinem partibus muci-

mucilaginosis aqueis gradu eminente refertum, hinc fibras possident densas & humidas.

IV. Melancholici partes Sanguinis possident terrestres praeterea dominantes, fibras quoque crassas & duras & vasa majora.

Thef. 20. Atque ex his temperamentis optime deduci possunt ingenii vires, propensiones ad vitia, virtutes.

Thef. 21. In Temperamento Sanguineo & Cholerico motus partium fluidarum magis vehemens celer aut velox est, in Phlegmatico autem & Melancholico magis tardus & imminutus.

Thef. 22. Et quandoquidem habitus corporis respectu solidorum, vel quoad vasa, quae tanquam viae Sanguinis, vel quoad fibras, quae sunt instrumenta motus ac fluidi Sanguinis temperie dependent, hinc veritas hujus canonis Physico Medici patescit, videlicet qualis temperies Sanguinis & motus humorum, talis est mentis motus, inclinatio, hinc mores animi sequuntur temperamentum corporis, hinc Sanguinei magis sunt audaces, hilares ingeniosi alacres, ob motum Sanguinis promptiorem, Cholerici propter motum celeriorem, vehementiorem, præcipites, ambitionis, fervidi sunt, Phlegmatici propter motum tardiorum, timidi tristes, Melancholici propter motum Sanguinis constantem, æqualem, tenaces, æqui judiciosi, circunspecti.

Thef. 23. Consideremus porro materiam mobilem sive hoc fluidum a quo omnia dependent, quæ quo major est hujus moles, sive quo minor ejus quantitas, ita varie sese habet hujus motus, ita ut ex corpore redundant alia virtus in animam ex motu Sanguinis copiosi, alia ex motu pauci, ideoque si cholerici Sanguine abundant, omnes animæ actiones impetuosiores sunt, inde majus robur, ira, animo increscunt, & vice versa.

issim

Thef.

Thef. 24. Consideremus I. hoc fluidum quoad consistentiam, in Melancholicis copiosus & crassior Sanguis in Cerebri an fructuolis tubulis hærens, majorem fixitatem producit.

Thef. 25. Consideremus motum Sanguinis quod ætatem (quum enim ad temperiem corporis & humorum contribuit ætas, hæreditaria parentum dispositio) solum, Coelum, sexus, virtus, vita genus, clima quæ mirifice alterant fibras, variæ mutationes non solum in corporibus, sed ratione inclinationum, morum exinde contingunt.

Thef. 26. Vitiorum genesis ex temperamentis etiam provenire in aprico positum est, observamus superbiam, arrogatiā, jactantiam, ambitionem, quam maxime familiares esse Choleris, ubi cum fervore, & celeritate trajicitur Sanguis per Caput, ita etiam tales fiant animæ impressions, ita ut juvenes maxime voluptati, Senes avaritiae sint dediti, (mortalitatis ludibriū, tunc fortunas avidissime expeti, cum nec dimanere, nec jam solicitare pretiosis deliciis effœtum Corpus possint) viri vero ambitioni, quum motus Sanguinis in viris sit impetuosus & celer.

Thef. 27. Non solum vitia prædicta, sed etiam ingenii vires ex eodem fonte deduci possunt, ideo excellentissimi ingenii sunt illi, qui sanguinem subtilem spirituosum, & talem, qui satis prompte & vegete in venis circulatur gerunt.

Thef. 28. Non solum ætates mutant hominum mores verum ipsum aer, ipse virtus diverse plane alios ingenerat animo mores.

Thef. 29. Aerem vero secundum climata influxus habere exinde patet, quod principium illud materiale, quod movet musculos, non aliud, quam fluidum illud aereo æthereo elastis, cum, hinc inferimus, qualis sit aer, talis sit partium solidarum & fluidarum motus.

Thes. 30. Potentia Cœli & aeris in Corpus Sanguinisque motam, adeoque in mentes hominum, qualis & quanta sit ha-  
ctenus demonstratum, verum quum non modo aer, San-  
guinis circulum disponat, sed & ipse vietus, hinc nullum du-  
bium, quin & hic ipse in mentem, ut in corpus agat, nam  
quale est mobile, talis est motus.

Thes. 31. Hanc ob causam inter homines sub eodem climate  
viventes magna datur differentia, ratio in procinctu est, quia  
fruuntur vietu duriore, qui corpus firmum & robustum  
redit.

Thes. 32. Ultimo consideremus hos incolas, qui sub Zona  
temperata vivunt, maxime eos, qui sub poli elevatione a 42.  
ad quinquagesimum tertium degunt, ut in Europa imprimis  
sunt Galli, Germani, Hispani, Itali, Græci, Hungari, Turcæ,  
Europæi, & quum plerasque has gentes visitavimus, placet  
paulo accuratius eorum mores examinare, & ut promissis re-  
spondeamus, modum inter illos conversandi paucis compre-  
hendere, nullum tamen hominum nostris regulis constringe-  
mus, sed cuilibet liberum judicium relinquemus.

Thes. 33. Quum nihil sit ex omni parte beatum, sed gens  
quæque virtutes proprias criminaque fovet, cavendum no-  
bis est ne imitemur fœdam arachnem, cui rosa pura sup-  
peditat materiam lethalis veneni, sed apem potius, qua a  
flore aconiti dulce legit mel, & e crudo acantho nectar, ita  
in conversatione optima quæque sequamur, & minus congrua  
declinanda, & in hunc effectum, placet hic quosdam sub-  
jungere aureos versus, quos in Italia nos legisse recordamur,  
& apice adamantino præcordiis cuiuslibet peregrinantis inscri-  
bi merentur.

*Sis animo vultuque humilis, prodeesse cuivis,  
 Si licet & nulli sit nocuisse labor,  
 Sedulus in propriis, aliis aliena relinque,  
 Prudenterque fides cui sit habenda vide.  
 Multa audi, dic pauca, tace abdita, disce minori  
 Parcere, majori cedere ferre parem  
 Sobrius & vigil, & verax simul esse memento,  
 Promptus amare bonos, & tolerare malos.  
 Imprimis reverere DEUM, qui cernit & audit  
 Omnia, quem prorsus fallere nemo potest  
 Hoc faciens, poteris, peregrinos inter ubique  
 Salvus & in media vivere barbarie.*

Thes. 34. Et quandoquidem hæc Gallica gens faciem Europæ alteravit, nostramque pacem obnebulavit, placet paulo accuratius hujus gentis temperamentum ab ovo deducere, ejusque in rationes Physicas inquirere & I. Ratione foecunditatis alias gentes superat hinc est quod ubique locorum ingens sit multitudo horum hominum.

Thes. 35. Rationem foecunditatis in eo ponimus, quod Sanguinem copiosum habeant, qui succum roscidum seminalem suppeditat aëre purissimo æthere elastico, qui mirifice confert ad artuum agilitatem animique hilaritatem, vinoque optimo fruuntur, minus tamen carne vescunrur, nam fungi & ranç sunt Gallorum deliciae, sed juscule delectantur. II. Ratione exercitii alias Gentes superare videntur, quum enim ex fluxilitate Sanguinis exercitium & motus maxime dependeat hinc enim a bonis principibus gubernati sudor horum piguat terram. III. Parco imo misero vivendo modo alias gentes superant, inde est quod adeo odiosi sint, præprimis anglis opificibus, quia misere & parce vivendo exiliori pretio

opificia vendunt, hinc necessitas, politura horum hominum ingenii inservit, & status Gallorum est instar Judæorum statui sub Pharaone, qui quo magis opprimantur magis crescunt, nihil enim conductit magis incremento humani generis, quam labor ac exercitium, quum enim semen bene digerit, & ab impuritate defæcatum reddit, hinc videtur Pharaonem & ejus aulicos rerum Physicarum fuisse ignaros, nam si Israelitis carne interdixisset, & frigidos cibos quales sunt cucumeres, & cucurbitæ una cum otio injunxit, generativa tum virtus declinasset, & haec sunt maximæ Virtutes Gallorum quibus alias gentes superare videntur, nam si paulo intimius consideremus, magis præstat haec gens numero hominum, quibus terrorem Europæ incepit, quam fortitudine, hinc in omnibus Victoriis, quas obtinuerunt, non tam fortitudine, quam fraude & numero vitoriæ evaserunt, fluxilis horum Sanguis eos ad quodlibet audiendum reddit promptos, sed fortiter repulsi rarius denuo aggrediuntur. Sanguis vero horum hominum, qui fibris crassis est, refertus, non tam cito calefit, sed calefactus diutius durat, hinc septentrionales nationes fortissimæ extiterunt, & pari numero & nulla fraude interposita victoriam in gallos reportarunt.

Thes. 36. Quum actio Oratoris in gestu & voce maxime consistat, hinc evenit quod Galli sint optimi Oratores & Chirurgi, nam Mimicos gestu corporis amulantur, quippe fluxilitas Sanguinis maxime disponit ad volubilitatem linguae & corporis agilitatem.

Thes. 37. Virtutibus Gallorum deductis, videamus quoque vitia quibus obnoxii sunt, & quum temperamento gaudeant Cholerico, observamus superbiam arrogantiam & invidiam plororumque gallorum Virtutes esse cardinales, hinc non minus vere quam politicè, præsens Rex Galliarum temperamenti suæ gentis

gentis probe conscientius asserebat, necessum sibi fore semper habere hostem ad moderandos subditos, qui sunt superbi & activi nimium ingenii, triremes vero ad plectendos infames.

Sic Barcius vir eruditissimus (qui Icon animorum dedicavit Ludovico decimo tertio) invitatus quasi fatetur, illud autem (inquit) in gallicis moribus ac veluti satis triste, quod benevolentiam, qua in sua regione hospitibus indulgent, extra patriam vix in suos cives expromant; aves quoque in caveam deductæ rostra & iracundiam vix stringunt, & Societas fati peregrinationem ferarum conciliat, extra Sylvas quærentium prædam, soli galli quounque in peregrino solo considerint, præsertim si miseri, & ad opem alienam conversi sævissima æmulatione decertant. pag. 60.

Salacitati propter acrimoniam lymphæ stimulantem (ob æstum prænimirum humores aeres & salsi redduntur) dispositi sunt, & ob condituras ciborum nam cibos aromatibus saepè condunt; hinc prætextu religionis saepè erumpunt e monasteriis, & postea produnt incontinentiam cum animi, effundiendo mala toxica viroſæ linguae contra honestos viros (quod nos experti sumus) tum Corporis, cæco impetu magnaue necessitate ducendo uxores. Reperimus tamen inter hos probos quosdam pastores, qui peccata & crimina suæ gentis lugebant.

Thes. 38. Jam vero dicimus ad conversationem inter illos, divinum illud donum animi continentiam maxime esse necessarium, (nam mirifice hi homines blandiuntur juvenibus) hinc monerem humiliter Chamelionem quemlibet agere debere, id est in quemlibet innocuum colorem se mutare, affectus mortisque cuiuslibet populi innocuos imitando, discimus exinde mores, gratosque illis nosmet reddimus, hinc admirabile Pla-

tonis consilium contra Spiritum Gallorum, (qui plerumque) est Spiritus de la bagatelle, obtinet hic locum, sis æquus omnibus paucis familiaris, cum gallis itaque jocose conversandum, nam similitudo morum creat amorem, audacia quoque & firmitas animus contra impetum inordinatum quorundam hujus gentis quandoque induendus est.

Thef. 39. Jam ad temperamentum Germanorum accedamus, nobiles hæc gentes ab omnibus retro seculis non minus ob humanitatem erga peregrinos, quam ob fortitudinem & fidelitatem erga principes conspicuae, gens armis egregia, & quæ pacem ferre possit; tarde & cunctantibus consiliis ad tumultus concitantur, sed excitatos longa tempestas & hominibus digna exercet, candidi animi virtutes aliorum factaque aut inventa maxime absentium non maligno & tumido livore delibant, sed sinceris laudibus ac propemodum immodicis attollunt, & nihil in ea magnificentius quam quod nomen sumini imperii aquilamque sibi habet.

Thef. 40. Temperamentum harum Gentium ad Melancholicum tendit (non æque tenuem ac calidum Sanguinem in veris fovent ac Galli, qui eos ad omnes celeres præcipitesque actiones, e.g. ad iram audaciam, impatientiam, temeritatem, præcipitantiam in dictis & factis disponit (sed Sanguis crassior per Cerebri membranarum vasa impeditius tardiusque procedit, hinc judicio pollent germani quia Sanguinis motus per Cerebrum tardior, non præcipites sunt, pauciores quidem sed fixiores habent ideas, majori cura patientia & industria eas invicem comparant, & conferunt, in qua vera judicij ratio continetur, hinc enim Galli inventione (quum Sanguinis fluxu velociori prædicti sint) Germanos excedere dicuntur, sed Germani inventa ab aliis nationibus perficiunt.

Thef.

Thef. 41. Barclaius Jurisperitus eruditissimus minus tamen Physicus aut Medicus ; & ut videtur non diu inter Germanos versatus , afferit vim mentium Germanorum esse opacam, at tamen ad æternitatem laborum esse robustam , cæteros qui- dem melius scire , illos vero plura , suamque famam ex vo- lumenum numero quæ ventilant , aut magnitudine æstimare ; statim subjungit , pag. 105. quasi prioris erroris conscius , neque desunt altissimæ mentes , in quibus patriam gravitatem vivi- di & excitati acuminis felicitas temperat , præcipue si validum ingenium diu peregrinis artibus moribusque miscuerint.

Thef. 42. Ex divino hoc dono animi continentia Germanis peculiari , quidam qui non æqua lance horum temperamen- tum trutinarunt , illos hebetes , tardos & opacæ mentis judica- runt , quum tamen postquam Italorum & Hispanorum gen- tes , quæ subtilissimæ dicuntur visitaveram , ingenuè & san- ctæ assero me plura inter Germanos didicisse , qui in sinu , alia- rum gentium præcipitantiam & incontinentiam merito rident , & actionum suarum tarditatem fortitudine , gravitateque com- pensant.

Thef. 43. Constantia Germanorum porro patet cum in Vi- ris tum in Fœminis , quæ alias inconstans & mobile genus hu- manum dicitur , in viris cum ignota sit inter illos perfidia , etiam in venali fortitudine stipendia merentibus . In Fœminis , quæ ex natura mobiles dicuntur , aliam hic induunt plane na- turam , fideles constantesque se exhibentes , post multos annos sponsalia inita fideliter (rarum inter mortales constantiæ ex- emplum ) feliciterque matrimonio perficitunt.

Thef. 44. Inter illos nullus datur præstantior conversandi mo- dus candore & ingenuitate , quum dolos maxime aversantur , neque tam vi & petulantia , quam ratione & patientia tractan- dos

dos judico; quum nihil illis versutia magis odiosum, hinc antiquus ille versus

*Credula versutos odit Germania Gallos*

*Et queritur laesam proditione fidem.*

Et quum Itali sint Germanis finitimi non incongruum erit de illorum temperamentis pauca prælibari.

Thes. 45. Itali & Hispani eodem fere temperamento gaudere videntur, haec gentes quoniam fruuntur cœlo tenui & calidissimo, Sanguinem valde acrem sulphureum adustum habent, non numerosa prole plerumque gaudent præprimis Hispani, quia calor excessivus dissipat rorem dulcem, qui Seminis materiam constituit, & infantis nutritioni inservit, libidinosi sunt, quippe humores obæstum prænimium sunt acres & salsi, hinc ista acredine stimulantur ad libidinem, desiderii compotes languent in amplexibus, & finito coitu foeminas abhorrent, & haec est ratio, quod foeminæ Italicae magis ambiant peregrinorum consortium, præprimis Germanorum & Britannorum, qui pristini beneficii non sunt immemores; nihilominus aer siccus & calidus vinumque spirituosum acutas illorum reddit Mentes & ubi vere amant omnia discrimina habent infra tam humani fœderis sanctitatem, si quos autem odio oderunt (sive sponte aversi, sive se lacestos existimant) ideo periculi plenior res est, quia hanc animi ægritudinem plerumque tegentes, alte interim æmulationis aut offendæ memoriam recondunt, laesi interdum ad obsequium descendunt, ut inter amicitia jura tutiore fraude graventur, ac quod noxiosissimum putet, nonnunquam animus tam facilis est ad vulnus, quam pertinax ad cicatricem, mentes inter tristiorem prudentiam castigatae, vix sustinent jocos, haec generaliter de illis tenent.

Thes. 46. Nobiles tamen Veneti & Genuenses inter quos per annum

annum versati sumus, aliorum morum esse videntur, non infrequentes quidem Venetiis sunt quidam Sicarii, qui exiguo pretio conducti, quemlibet occident, sed apprehensi suspenduntur, & unum post internecionem viginti ab illo hominum ad justum supplicium tractum vidimus.

Thef. 47. Splendidior nobilium cœtus nullibi datur & ingenti politia rempublicam administrant, diu de legibus enciscendis consulunt, enactæ tamen leges, ut Persarum & Medorum irrevocabiles sunt, cautissimeque procedunt, cuius veritatis tam insigne exemplum cum nullibi legere est placet paucis referre. In platea publica unus alium adortus, prætereuntis cujusdam pistoris cultrum e vagina eripiens, alterum transfodit, ita ut vitam cum morte commutaret, fuga se subito surripiens, cultrum crux remadidum dereliquit, apprehensus pistor ex suspicione, cultrumque vaginæ proportionatum experti judices, ex præsumptione juris & de jure, pistor miser, reclamante innocentia & conscientia, condemnatus & suspensus, temporis intervallo exiguo interposito (ita disponente sancta providentia, quæ nocentes prodit, & innocentes protegit) homicida verus propter aliud homicidium deprehensus & condemnatus, fatetur se prioris homicidii reum cuius arguebatur, & propter quod condemnabatur pistor, confundebantur judices, & postea legem enacti sunt, sive potius laudabilem introduxerunt consuetudinem, ut ante sententiam latam contra homicidiam, exclamat quidam apparitor, Recordemini, Recordemini pistoris, ut refriceretur memoria, quam Sacra sit res vita humana, & quam altum clamorem habeat coram Deo innocuus sanguis, discantque in posterum minus in sententiis proferendis præcipites esse.

Thef. 48. Illud vero cavendum est, ne ex una virtute, vitiōve

C

de

de indole atque animo universe sententiam feras , sed ingenium ut plurimum Italorum multo recessu abditum, non utique potest sine longæ prudentiæ sedulitate deprehendi , nam uti in gladiatoria arte , nihil periculi plenius , quam si cum homine cui torvi oculi exerrant dimicandum sit (quia quo iustum destinet , deflexis ut videtur in contrariam partem luminibus , vix conjici potest) cum illis acturus , qui suum ingenium vel arte vel corporis beneficio prorsus dissimulant, debet longa severaque disceptatione a seipso quid de illis sentiendum sit exigere hac autem tam immensa ac perplexa animalium cognitione non potest præceptis definiri , neque aliter quæri , quam ejusmodi hominis longo usu.

Thes. 49. Demigremus hinc ad septentrionales Regiones Imprimis Suecos Norwegos, Danos, habent enim corpora obesa robusta coloris candidi , quippe aut aer frigidus constrictus externe corpora ambiens impedit ex halationem humidi & Calidi , in quo vita & nutritio consistit, hinc copia laudabilis Sanguinis gignitur , ex quo provenit succus roscidus seminalis, hinc maxime fæcundæ sunt nationes septentrionales, longævæ quoque quæ longævitæ ex fibrarum robore ac virium copia pendet.

Thes. 50. Hi sunt Suedi, Dani ex quibus tantæ gentes, numero suo victoriisque celebrata , quodam turbinis æstu tali olim Europæ infusa sunt, inde Cymbri Teutonesque inde Goths Wandalique prorupere recentioribus fæculis , quæ inde Coloniae emigrabant Northmanni dicebantur id est homines a septentrione emigrantes.

Thes. 51. Curiosa est quæstio unde tanta hodie multitudo , & velut gentium acervus aruerit , credideram barbaras gentes cum frugales ibi olim in inculto solo essent , ignaræque vi torum

tiorum multa sobole increvisse , & quoniam infelicitas terræ numero populo alimenta negabat , sæpe dimisisse juventutem novas sedes quæsituram , nunc autem insano commessandi vivendique vitio obruisse genitalem vim , nec habitatores nisi suis regionibus sufficere posse.

Reperimus hujus gentis juvenes cum humanostum eruditos , contumelias nec facere promptos , nec pati , datæ dextræ fidem non violant , cum talibus conversari nulla regula indigemus , modo humanitatem humanitate compensemus .

Thes. 52. Trans mare (sicco tamen pede) Britannos visitamus , Britannia quasi alias mundus , ab aliis partibus mundi separata , marique feliciter munita , duobus constat Regnis Anglia & Scotia sub eodem regimine feliciter unitis .

Thes. 53. Anglia felicibus pascuis , & ad multas variasque arbores commoda humo , commeantium oculos pulcherrima viriditate mulcet , quippe hyemes non illic pro plaga & septentrionis Vicinia asperæ .

Thes. 54. Proceras habet Lauros , Rorismarini planta apud multas gentes ipsa cura qua educatur pretiosa , hic vulgaris , & nonnunquam in sæpes velut ad hortorum custodiam stipata , ne quidem in colendo croco labor , quem optimum habet faciliter herba oblatas in floribus opes non in ullius curæ aut industria præmium aperiente .

Thes. 55. Spontanea felicitas securum & opulentum vulgus non modico tumore sustollit , ut neque pro consuetudine aliarum gentium timida humanitas .

Thes. 56. Ex Temperamento Sanguinei sunt Angli mobilissimus & fluidissimus est illorum Sanguis , quum succis boni cibi vescantur , aëre quoque sereno & potu optimo fruantur benigni mites & affabiles , nullibidantur subtiliora ingenia , & medium quasi

quasi possident inter levitatem Gallorum & Vindictivum ingenium Italorum, clandestinam inimicitiam dedignantur, & hic raro clanculum vitæ hominum insidiantur, mirifice artutis jocisque delectantur, & quod singulare est, raro ultra limites jocos prosequuntur, & inter se offensi sâpe joco denuo reconciliantur, vñ homini inter illos meticuloſo, nam affectant hominum probare fortitudinem, virosque probatæ fortitudinis amant, ad voluptates prompti, neque mirum, quum homines alibi abstemii vix se hic continere queunt, hic enim venustissimæ sunt formæ virgines, rosea habent labra, purpureas genas, eburnea colla, pectus modice exorrectum, neque uti Gallicæ virgines quæ externæ plumis adornatae referunt aves paradisi, sed denudatis plumis nil nisi cutis & ossa, sed succulentæ affabiles, structuræ Corporis elegantissimæ; observare se credunt peregrini enormem hic libertatem, sed perperam de illis sentiunt, qui nullum norunt inter illas discrimen instituere, nam dantur hic foeminæ strictissimi honoris, sed ab aliis plerisque gentibus in hoc differunt, quod norint, & ament conversari, neque quædam innocua concedendo ducuntur ad omnia, immo modestioris sortis foeminæ, primo illico aggressu, in perpetuum a tali societate divortium faciunt. Plebeji & alii, qui exteræ gentes von visitaverunt, seipsoſ, & suæ gentes mores ingenia, animos eximie mirantur, sed quod minus condemnandum, dum salutant aut scribunt, descendere ad verba imaginaria servitutis, quæ istorum sæculorum blandities inventi, nisi forte externis moribus imbuti non sustinent. Musas & Studia literarum, superbissimis Academiarum testis accipiunt, quæ opulenta hæreditate hæc scientiarum domicilia, velut in æternitatem eruditioñis ditarunt, hoc habent Angli præ aliis gentibus quod non tantum in subsidium vitæ humanae, sed maxima indulgentia fortunæ constituti, ex illustri familia descen-

fi

si musas excolunt, hinc animi horum elati optima scribunt.

Discusso Anglorum temperamento ad Scotorum tempera-  
peramentum deveniendum.

Thef. 57. Antiquissima hæc gens a bis mille retro annis Reges  
centum & tredecim ad præsens felicissimæ regimen Reginae vel  
linea directa vel collaterali habuere.

Thef. 58. Temperamento gaudent Scotti Sanguineo Melancholico inde  
est, quod Scottis sit animus ad humanæ consuetudinis culturam facilis,  
corporis habitus supra multas gentes decens, rationem hujus crediderim,  
quod ascendendo montes constrictione nervorum & arteriarum, su-  
ra & poplites maxime exercentur, indeque majora incrementa capessant,  
Angli quidem vultus venustate Scotos excedunt, nam succis cibi optimi  
vescuntur, hinc cutis tenerior purpureiq; coloris Sanguis facilius apparet.

Thef. 59. Factorum non minus ac injuriarum tenaces unde videre est  
familias antiquissimas mutuo vadimonio ad difficultates redactas, per-  
familias & cognomina sunt discreti, suarum gentium principes habent,  
& antiquitus privatas contumelias in ipsarum familiarum injuriam verte-  
bant, caedem cæde repensare decorum, incendia alternis ignibus vindica-  
bant, quamquam enim tantum nefas removere non fuit in veterum re-  
gum manu, proceribus fide clientum numeroque ferocibus; tamen patriæ  
fusæ hoc demum Jacobus Britannicus beneficium dedit, is cum adhuc uni  
Scotia imperaret, hanc publice causam habuit in præcipuis regni curis.

Versus vero occidentalem & orientalem plagam, plane aliam habet  
Scotia faciem, & Angliam refert, sumptuosisque ædificiis e quadratis  
lapidibus constructis passim civitates adornantur, & quibusdam in distri-  
ctibus Angliae non inferior, excepta civitate Londonensi memorabili amœ-  
nitate, aspectu non Britanniam tantum sed fortasse totam Europam pul-  
cherrimo excedente.

Thef. 60. Animi illis in quæcunque studia inclinant mirifico successu  
incliti, ut nullis major patientia vel audacia pugnæ, ex præservido quo-  
que ingenio religionis zelo maxime affecti, hinc gloria Scotorum quod  
inter primas nationes fuerint, que Christianam fidem amplexæ sunt, &  
Germanos a Gentilissimo ad Christianismum reformaverunt & ultra vi-  
ginti monasteria in Germania habuerunt, & Ratisbonæ videre est Mona-  
sterium Beneficio dotatum ab Archiduce Austriae, & aliud quoque Vien-

næ nongentis retro annis , in quibus Concessionibus enarratur , talia beneficia collata esse propter singularem candorem & fidelitatem Scotorum , & quod Sanguinem effuderint in propagatione Evangelii . Non tamen ausim nunc temporis cum Barclaio afferere nullibi musas delicatus habere , quam cum inciderunt in Scotos condonandum Barclaio , quod scriperat in sæculo quoplurimi nobiles Scotti eruditissime scriperunt , uti Naperus & pater & filius Barones de Mercheston quibus Mathematici agnoscunt se tantopere obligari quum inventores fuerint Logarithmorum , Lesseus , Demsterus , Jonstonus & multi alii Musarum alumni , quodlibet sæculum & quælibet gens habet sua incrementa quoad doctrinam aliqua mundana , hoc singulare est Britannis , quod qui maxime præstiterint in doctrina nobiles fuerunt , hinc Dominus Boyle nobilis Anglus in Physicis immortale patriæ decus , & Verulamius Angliae Cancellarius , qui quamvis juris studio addicetus , ictu ingenii tanta præstitit in doctrina , quid non unitis viribus præstisset .

Inter Scottos pauci nunc scribunt , quidam tamen pristini patriæ honoris non immemores , inter quos Dalrymple Vice comes de Stair , alter quasi Verulamius Physicam optimam conscripsit , & de attributis Dei incomparabilem quoque librum edidit , hic tamen jurisprudentiæ addicetus , & Senex septuaginta sex annos habens , cum summa alacritate ingenii præfuit supremæ curiæ , ubi Viri acutissimi ingenii causas agunt , & post se reliquit quinque filios , qui virtute & doctrina , mutua æmulatione contendentes ad maximas divitias honoresque se promoverunt ; incomparabilis Burnettus Episcopus Salisburensis ex nobili quoque familia discensus optima scribit , Pitcarnius quoque ex nobili stemmate quondam Lugduni Batavorum Medicus & Mathematicus præstantissimus , cui Celebris successit Albinus sufficit Scottis , quod sub Climate Britannico naſcantur , quo Viri magni ingenii dantur .

Theſ.61. De infelici quadam antipathia de qua quidam Autores loquuntur , originem ducente ex reliquis inimicitiae propter mutua bella inter Scottos & Anglos a Gallis maxime excitata , inter rudioris fortis homines tantum locum habet , quum nobiles Scotti de nulla re magis gloriantur , quam nobiles Anglos omnibus amicitiae officiis excipere , & vix nunc temporis quisquam ex Magnatibus Scotorum , qui non Anglis ex matrimonio sanguine conjunctus sit , & jam per centum annos & ultra nulla natio , conjunctius , in castris militiaque fidelius audaciusque Anglorum nati-

ni

23

ni adstitit , continuationem cuius omnes boni exoptant & anhelant.  
Quod vero dicantur jactabundi , deque stemmate alta loqui , crediderim  
Montanis nostris maxime hoc esse familiare , quumque in septentrionali  
plaga alti sunt montes , altique venti , hinc est quod sine alta voce alius  
alium audire non possit , denuo cæco quodam amore ad conservandas anti-  
quas familias ducuntur , hinc natu majores omnia fere patris bona adipi-  
scuntur , natuq; minores inter exteras gentes fortunam querere coguntur.

Quoad modum inter illos conversandi , humani & peregrinis hospitales ,  
& iracundia in promptu , sed quam facile post primos impetus mitigant  
& citissime bonis verbis compescuntur.

Thef. 62. Restat ultius ut noscamus non solum instituere discrimen  
inter homines & gentes diversorum temperamentorum sed etiam diver-  
sorum statuum , secundum horum diversitatem , diversum instituere con-  
versandi modum.

Thef. 63. Dividimus itaque statum in Civilem , militarem vel Eccle-  
siasticum.

Thef. 64. Civilem subdividimus in nobilium , Plebeiorum & Civium ,  
& quod notatu dignum est , quo nobilior est persona , eo saepe accessu faci-  
lior , unicum tamen probe monendum volumus , quod quo plus favoris cui-  
dam conceditur eo modestius quemlibet se gerere deceat , perversus est  
quorundam mos , qui minus alios aestimant , quo magis ab his aestiman-  
tur , inter nullum statum hominum plus candoris & sinceritatis , quam  
inter milites reperi , & quamvis poëta canit , nulla fides pietasque Viris ,  
qui castra sequuntur , hoc tantum intelligendum credimus de variis  
promissis inter Virgines & Milites peractis ; a continuo exercitio , Sanguis  
redditur fluxilis & motus aequalis , hinc privatis fraudibus inter se invi-  
cem nec tendis minus addicti sunt , quum metus & timor saepe sit causa  
fraudum , & a Sanguine minus fluxili originem ducat .

Inter plebeios ita conversari ut debitus amor & quoque autoritas con-  
servetur non deest difficultas . & optimum quem credimus modum , est  
juste cum illis agere & rarius conversari .

Thef. 65. Inter doctos magna est differentia , qui speculationibus meritis  
indulgent , hi , illorumque conversatio minus utilis , quid prodest araneæ  
telam subtiliter contextam contemplari , nisi quod varietate sua fallat tem-  
pus ; oculos animumque delectando , judicium nullatenus instruit ; hinc ve-  
tus observatio meritus Scholasticus est meritus asinus , sed qui doctrinam uti-  
litati

litati humanae accommodant, & conversatione exterarum gentium perficiunt, horum conversatio non minus utilis quam delectabilis.

Thef. 66. Quo magis Doctorum consortium delectabile, tum utile, eo; est periculosius, si hoc offendatur, hinc tenet ille vetus canon corruptio optimi est pessima, periculosisimum est odium Doctorum, nam celant affectus, quo felicius occasionem se ulciscendi nanciscantur, uti pugiles dum se invicem amplectuntur, tunc trans fodunt, mortaleque infligunt vulnus, Petri Rami casus veritatem hanc comprobat, quo inimici non contenti hujus erudit & optimi Viri morte, sed in cadaver dimortui illud lacerando saviebant, Buchananus quoque offensus mirifice invehit in illustrem familiam Hamiltoni; referuntque quidam causam hanc subfuisse, quod equum Buchanani quidam ex hac illustri familia (premente quodam negotio Regio) auferri mandaverat, de quo casu beatus Dux non illepide dixit, O utinam ego Buchanano sejugem suppeditassem, hinc strictæ doctorum pennæ, militum gladiis strictis mundo magis nocuere, nam posteros animant ad eandem causam suscipiendam, quam maiores deseruerunt, hinc non satis admirari possim Serenissimi ac Potentissimi Regis Prussiæ prudenteram, qui in quibusdam casibus controversis injungit silentium fævasque doctorum pennas in vaginam recondi mandat.

Thef. 67. Inter tales conversando versatilem animum in diversa componere, & motus affectusque juvabunt, quod vix commode ullus unquam perficerit, absque fedula auferaque diligentia, aut summo in suas cupiditates imperio, ea arte multis hominibus parta res atque decus, sive in liberis civitatibus, in quibus una virtute tot Dominis non placebis, sive in principum familiis, ubi non modo simulatio ad eorum studia flectenda est, sed etiam ambiendi, qui gratia apud illos excellunt, de hoc optimo subjecto plura restarent dicenda, quæ, si experiemur hæc grata fuisse mundo; Deo dante vitam non deerunt.

Ex dictis illud concludendum, quod ingenii Vires, propensiones ad vitia & virtutes (debita collatione facta inter mores & naturalem propensionem) ex statu Sanguinis prout differenti temperie, mixtione & motu deduci possint, desino & complico ut sic dicam Dissertationis meæ vela, Scaurus enim ajebat, non minus magnam virtutem esse scire desinere, quam scire dicere.

S. D. G.  
FINIS.

**ULB Halle**  
005 315 786

3





B.I.G.



DISSERTATIO MEDICA MORALIS  
De  
MODO CON-  
VERSANDI IN-  
TER EXTERAS GEN-  
TES PRÆPRIMIS EUROPÆ  
DEDUCTO à TEMPERAMEN-  
TIS VARIIS, SECUNDUM  
SANGUINIS FLUXUM.

Ventilata

à

THOMA KENNEDO Medicinæ Doctore,  
Scoto-Britanno.



nach 10.05  
Ud 648

COLONIAE MARCHICAE,  
Typis ULRICI LIEBERTI, Regii Typographi.

